

SPRAWOZDANIE

C. K. DYREKCYI GIMNAZYZALNEJ

przy ś. Annie w Krakowie

z roku szkolnego 1867.



KRAKÓW.

W Drukarni C. K. Uniwersytetu Jagiellońskiego

pod zarządem Konst. Mańkowskiego.

1867.

Przedmioty:

1. Rozprawa: „De Ciceronis eloquentiae natura dissertatio“, przez Profesora
Maxymiliana Bugielskiego
2. Część urzędowa przez dyrektora.

De Ciceronis eloquentiae natura dissertatio.

Nobis prima sit virtus perspicuitas, propria
verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio etc.
Quinctil. VIII. 2, 22.

In eloquentia oratoris alicuius illustranda, quid sit observandum, a Cicerone luculenter est demonstratum libris duobus, *oratore* et *Bruto*. Quos diligentius pervolutantes, quas res in aliis artibus explicandis a iudicibus considerari videmus, *rem* dico et *artem* tractandi, easdem in oratorum arte dicendi explicanda etiam a Cicerone observatas minime ignorabimus. Itaque primum nobis quaerendum erit, quas *res* noster orator sibi tractandas sumpserit, tum quomodo in iis tractandis versatus sit.

In orationum Tullianarum numero, quae temporum iniuriam effugerunt, nulla reperitur, quae tota quasi ad inspiciendum delectationis causa sit comparata, cuius argumentum sit causa generis demonstrativi, qualis est alicuius hominis laudatio aut vituperatio sine ullo cum rebus publicis nexu. Abhorrebat enim longe a Romanorum consuetudine ac moribus, ut quae res nullam civitati utilitatem afferrent, de eis verba facerent vel declamitarent voluptatis et ostentationis causa. Cuius rei testimonia sunt et eiusmodi orationum nullae reliquiae et Ciceronis verba, qui non iniuria dicere potuit. (Or. 208) „Nemo scripsit orationem generis eius, quod esset ad delectationem commparatum remotumque a iudicii forensique certamine.“ Quamquam in eius ipsius orationibus multa loquuntur, quae ab hoc genere *demonstrativo* non sunt aliena. Ita, ut exemplis res probetur, in oratione pro *Archia poëta* sane multa sunt, quae ad causam Archiae firmandam videri possunt haud necessaria; qualis est ille notissimus locus, quo bonarum artium studia et litterarum disciplina summis laudibus celebrantur. In alia oratione, qua Manilii t. p. rogationem populo suasit, Pompeium vel maxime laudavit, quod idem fecit in Caesare, cuius clementiam deprecatione pro Ligario non iniuria praedicavit. Vituperationis autem exempla legimus in Catilinariis Verrinis et Philippicis maiora.

Quae quamquam negari nequeunt, tamen non repugnant in initio dictis. Nam laudes illae aut vituperationes non sunt earum orationum argumenta, verum ornamenta et adminicula. Fuit enim Ciceroni laudandus Pompeius, ne quem alium quam Pompeium tantum quantum erat

bellum Mithridaticum, feliciter conficere posse, populus intelligeret neve imperatorem esse vellet iuberetque. In oratione „pro Archia poeta“ Cicero artes bonas laudibus celebravit, quo magis reo iudicum animos conciliaret et civitatem, etiamsi non haberet, qua in re fortasse longius quam deceuit Romanum, commoratus est. Eius quoque generis sunt illae vituperationes Catilinae, Verris, Antonii.

At se declamitasse, ipse Cicero aliquot locis profitetur, ut in Bruto (310). „Commenta- bar declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo cotidie idque faciebam „multum etiam Latine, sed Graece saepius; etc. Alios locos vide apud O. Jahn in editione Bruti. Omitto, quod, qualia fuerint illarum declamationum argumenta, ignoramus: id quod ipse orator noster iis verbis significavit, consideremus. In Bruto disseruit paullo ante (309) de suis exercitationibus oratoriis, quo paratior in forum veniret. Inde non voluptatis sed publicae utilitatis causa eum declamitasse intelligimus. Extat autem alius locus, quo quibus in quaestionibus tractandis philosophi operam consumere soleant, eas procul ab oratoris officio abesse affirmat. Leguntur apud Cic. de inv. I., 8 haec: „Nam quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore „consumpta intelligimus, eas sicut aliquas parvas res oratori attribuire magna amentia videtur.“ „Quodsi igitur *amentiam*“ eam vocat, eum quoque ipsum eiusmodi quaestionibus se abstinuisse putantes haud errabimus.

Sed quoniam dicendi genus demonstrativum ab oratore nostro non omnino repudiatum iam supra vidimus, hic, ne secum pugnare videantur, quae modo dicta sunt, eum ipsum, quid de genere dicendi demonstrativo iudicaverit, loquentem audiamus. (Or. 209). „Genus autem hoc orationis neque totum assumendum est ad causas forenses neque omnino repudiandum.“ Etsi ea non de se ipso Ciceronem dicere obici potest, tamen eum ipsum idem, quod ab illo, quem fingit excellenti oratore factum voluerit, fecisse verisimile est. Quae sententia fiet probabilior, si Ciceronem in „oratore“ suo non oratoris, qualis nunquam fuerit, speciem finxisse viderimus, sed quae ipse in suo cursu oratorio sit expertus ea omnia in hunc librum contulisse cognoverimus. Uberius res ea tractata est ab O. Jahno in praefatione oratoris editioni praemissa.

Triā sunt, e quibus id colligi potest. Ciceronis verba ipsa, tum consilium in libro scribendo quod erat secutus, denique sententiarum probandarum exempla. Ita in ep. ad fam. VI. 18, 4, leguntur haec: „Oratorem meum tanto opere a te probari vehementer gaudeo, mihi quidem sic „persuadeo, me quidquid habuerim iudicii de dicendo in illum librum contulisse, Qui si est talis, „qualem tibi videri scribis, *ego* quoque *aliquid* sum; sin aliter, non recuso, quin quantum de illo „libro tantumdem de mei iudicii fama detrahatur.“ Qui locus quamquam satis loculenter ostendit, quid de libro illo sentiamus, plus auctoritatis habebit et consilio illius libri explicato et exemplorum, quae Cicero attulit numero perspecto.

Atque toto fere libro orator noster, vehementer invehitur et in doctos homines et in oratores, qui neque dicendi genus ab ipso adhibitum probaverunt, neque ullum aliud nisi, quod ipsi *Atticum* falso vocabant, in publico adhiberi voluerunt. Et enim, quum solum Lysiam Atticum imitandum negat, tum Demosthenem, eundem Atticum, qui et subtili et mediocri et grandi genere dicendi pro rerum natura esset usus, sibi imitandum proposuisse profitetur. Ciceronis igitur consilium in libro conscribendo si id fuit, ut suam eloquentiam contra vituperatores tueretur, libro eo non qui nunquam fuisset oratoris, sed sui ipsius imaginem, a Cicerone fictam esse concedamus oportet.

Ultimum denique argumentum inde repetitur, quod perrara exempla profert ex aliorum orationibus ex suis ipsius longe plurima.

Quum igitur, quid de libro illo iudicemus, inde satis pateat, ea quoque, quae ibidem leguntur de oratore nostro dicta esse possumus existimare.

Itaque, Ciceronem demonstrativum genus causarum neglexisse neque vero idem dicendi genus omnino repudiasse, et exemplis et locis laudatis probasse mihi videor.

Praeter demonstrativum genus causarum ab auctoribus et Graecis et Latinis, qui de arte dicendi scripserunt, duo causarum genera sunt constituta; quorum alterum dicitur *deliberativum*, alterum *iudiciale*. Quorum illud positum in disceptatione et consultatione civili habet in se sententiae dictionem, hoc positum in iudicio habet in se accusationem et defensionem aut petitionem et recusationem. (ad Heren. I. 2, 2).

Et eorum generum in utroque maximam consumpsit operam Cicero. Sunt enim in orationum eius numero aliae, quibus leges suasit aut dissuasit, quibus in curia sententias dixit, aliae quibus in causis privatis in iudiciis publicis aut defendit reos aut accusavit improbos. Ita, quum C. Manilius t. p. ad populum tulisset, ut Cn. Pompeius cum imperio adversus Mithridatem regem mitteretur, eam rogationem Cicero populo suasit. Dissuadendi exempla sunt orationes in Rullum de lege agraria tres, quarum prima, ut patres bono animo essent cohortatus; altera in contione populi, quae legem secutura essent detrimenta, exposuit; tertia denique ab adversariis in se coniecta crimina diluit. Sententiae in senatu dictae exemplum notissimum est Philip. I. qua sententiam rogatus Caesaris acta servanda esse censuit. Eiusdem generis est oratio de provinciis consularibus, qua censuit, qui designati essent in annum 700 u. c. consulibus provincias Syriam et Macedoniam esse decernendas ita, ut eas proximo anno duo praetores obtinerent, C. autem Caesari duas Gallias coniuncto imperio esse relinquendas.

Generis judicialis sunt orationes: pro S. Roscio Amerino, parricidii reo, pro A. Licinio Archia poeta reo facto, quod in civitatem irrepisset, pro P. Sextio de vi reo, pro T. Annio Milone de vi, pro C. Cornelio Sulla de ambitu, pro Cn. Plancio de sodaliciis, pro rege Deiotaro, item oratio pro Ligario, quae quamquam non in iudicio habita generis est iudicialis. Est enim quam dicunt *deprecatio*, qua reus se pecasse et consilio pecasse confitens tamen, ut sibi ignoscatur, petit. Eiusmodi orationes autem et a Cicerone in libro de inventione et ab auctore ad Herennium generis iudicialis dicuntur. Neque vero defendit verum etiam accusavit Cicero, cuius rei exempla sunt actiones in Verrem, repetundarum reum, eaque praestantissima. Qui exemplorum numerus augeri potest; sed quoniam non ex multitudine sed ex gravitate testimoniorum, quale fuerit causarum genus a Cicerone susceptarum cognosci posse arbitror, in illis quas commemoravi orationibus mihi supersedendum putavi.

Ciceronis igitur eloquentiam in omnibus causarum et publicarum et privatarum generibus versantem imprimis in deliberativo et iudicali genere consumptam esse ex superioribus elucet.

Quum causarum genera habeamus perspecta, nunc ad alterum illud, quod in principio dixi, ad artem ipsam, quae est ars dicendi, considerandam, accedamus. Quum autem variis rebus constet eloquentia, eas singulas, quo magis res illustretur, in nostri oratoris arte dicendi sum explicaturus.

Quinque sunt res, quas Cicero in *Bruto* (26) artes magnas appellat, ex quibus constet eloquentia. Sunt autem: *inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio*. (ad Heren. I. 2, 3).

Primum igitur videndum est oratori, quid dicat, quo continetur *inventio*, quae est rerum verarum aut ut verarum excogitatio, quae causam probabilem reddant. Quum prudentiae sit, quid quisque dicat, videre, eam quoque virtutem non defuisse Ciceroni volumina orationum eius vel minus diligenter pervolutantem fugere non potest. Et enim qui potuit Cicero tot dicere orationes, nisi rerum, quibus auditoribus persuaderet, habuisset copiam quam maximam? Quod argumentum, quum

in omni sermone possit adhiberi, minoris est momenti, quam alterum ab ipsa orationum Tullianarum natura desumptum. Auctor libri ad Herennium et Cicero in libro de inventione, eam eloquentiae partem in sex orationis partes consumi docent: *exordium, narrationem, divisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem*. Quod quidem in Ciceronis orationibus factum est, in quibus insunt exordia, narrationes, divisiones confirmationes, refutationes, conclusiones vel perorationes. Quodsi igitur partes inventionis non desiderantur, ea ipsa quoque Ciceronis eloquentiae non defuit. Fuit inveniendi facultas et ea quidem summa etiam in aliis oratoribus, ut in Antonio, Sulpicio, Crasso, Hortensio: in Cicerone tamen eam aliam fuisse, ex disciplina eius cognoscemus.

Idonea est locorum copia, ex quibus Ciceronis disciplina potest cognosci. Nam in libro, qui inscriptus est *Brutus*, copiose disseruit de suis ipsius litterarum studiis. Quorum summa est haec: Quum quo natus est tempore Cicero, eloquentia apud Latinos iam maxime floreret, alia quam a superioribus oratoribus disciplinae via erat ingredienda, si quis laudem eloquentiae sibi parare cupiebat. Quod Cicero, quum intellexisset, summo studio elaboravit, ut antequam ad causas agendas accederet, et philosophorum doctrina imbueretur et iuris quum publici, tum civilis scientiam sibi pararet et rerum gestarum peritus esset. Ita instructus in publicum prodiit, non ut disceret in foro, sed ut jam aliquid adferret ad rem publicam. Fuerunt enim oratores earum artium imperitissimi, ut Curio, qui nullum poetam novisse, nullum oratorem legisse, nullam memoriam antiquitatis collegisse; non publicum ius, non privatum et civile cognovisse dicitur; (Cic. Brut. c. 59, 214) ut Antonius et Sulpicius, qui illis artibus parum instructi fuisse ibidem dicuntur. Neque vero tantum in bonarum artium studiis Cicero operam consumpsit sed etiam eis rebus orationes suas exornavit. Itaque frequentissimae sunt philosophorum sententiae orationibus eius insertae, quas collegit La-gnerius in libro: *Ciceronis sententiae insigniores, apophthegmata, parabolae seu similia omnia collecta*. (Parisii 1546 — 1548). Quod idem apparet ex Ciceronis verbis, quae leguntur in libro de nat. deor. l. I. 3, ubi orationes suas *philosophorum sententiis refertas* dixit. (Conf. Cic. Brut. 322). Item iuris et publici et privati scientiae permulta sunt in eius orationibus vestigia. Commemorantur enim permultae leges earumque sententiae copiose maxima cum peritia explicantur, cuius rei praestans exemplum legimus in Plancianae, 41—47. Sed ipse quoque in Bruto (322) sibi iuris civilis peritiam non defuisse significavit verbis: „Nihil de me dicam, ab inferis locupletissimos testes excitaret;“ „deretur exquisitius quam vulgus hominum studuisse literis, quibus fons perfectae eloquentiae continetur; nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum; nemo, qui *ius civile* didicisset, rem ad privatas causas et ad oratoris prudentiam maxime necessariam; etc. Rerum quoque gestarum memoria singularis fuit in oratore nostro, quod probatur quum exemplorum copia tum loci ex Bruto laudati sequentibus: „nemo, qui memoriam rerum „Romanorum teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret;“

Quibus artibus instructus, quum ad causas agendas accessisset, triplex oratoris officium haud difficulter explevit, quippe qui, auditores quibus rebus doceret, delectaret, moveret, minime ignoraret. Quamobrem, quid sibi cum adversario conveniret et quid esset in controversia, facile reperiebat. Item rerum, de quibus erat dicendum, naturam non ignorans, quid esset amplificandum quidve minuendum mox intelligebat. Maximam vero utilitatem et ex historiae et philosophiae studiis percipiebat in delectandis et commovendis auditorum animis. Nam animi humani naturam non ignorans, quid cuique animorum motui conveniret, quibusve rebus audientium animi pellerentur, facillime reperiebat. Et ex ea facultate exorta sunt illa apta exordia, vel ab iniquitate temporum, ut in orationibus pro S. Roscio Amerino, pro T. Annio Milone, pro rege Deiotaro, desumpta; vel a personis adversariorum, ut in Phil. II. vel iudicium, ut in oratione pro Cn. Plancio, vel sua ipsius repetita; inde copiosae narrationes, ut in Verrinis, quibus iudices et docentur et delectantur

inde quum subtilitas tum copia in confirmationibus et refutationibus. Pro exemplis testis esto locus qui legitur apud Cic. (or. 102). „Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: „temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Jus omne retinendae maiestatis Rabiri causa „continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus.“ Idem fons est ex quo manarunt illi *miserabiles* epilogi ab Laterense appellati. (Cic. pro Planc. 83.) Etiam illud in *oratore* (128) παθητικόν dictum, quo perturbantur animi et concitantur, quo se adversarium saepe loco movisse ibidem proficitur, etsi magis oratoris naturae et indoli est tribuendum, tamen magna ex parte ei disciplinae debetur; quod idem valet de facetiis, quarum multae sane sunt frigidae neque tamen omnes. Eadem disciplina factum est, ut orator noster vetera dicens nova proferre auditoribus sit visus. (or. 12.).

Itaque, quum partes orationis, in quas inventio consumatur et eam ipsam variis bonarum artium studiis comparatam et auctam esse cognoverimus, inventio Ciceronis eloquentiae neque defuit, neque vero eadem, quae in ceteris eius aetatis oratoribus extitit. Quare idem quod Cicero praedicat de Antonio, cui omnia in mentem venire dixit in Bruto (139) de eo ipso potest affirmari.

Venio nunc ad alteram rem, quae in eloquentia requiritur. Ipsa eloquentiae natura secum fert, ut quae inventa sunt, certa ratione collocentur et secum coniungantur, quo probabilior reddant causam oratoris aut defendentis aut accusantis. Rhetoricorum scriptores eam collocandi artem appellaverunt *dispositionem* eamque in duo genera diviserunt, alterum ab institutione artis profectum, alterum ad casum temporis accommodatum. (ad Heren. III. 9, 16). Qua disponendi duplici ratione Cicero usus est saepissime. Extant enim orationes, in quibus ordo ab arte praeceptus observatus est ita, ut exordium sequatur narratio, huic succedat divisio, divisionem excipiat confirmatio, confirmationi subiuncta sit refutatio, totam orationem denique concludat peroratio vel conclusio. Exemplum sit oratio pro Milone. Longe autem plures sunt orationes, quarum partes supra commemoratae non eodem ordine sunt collocatae, sed pro causae natura et oratoris consilio dispositae. Cuius dispositionis ab artis praeceptis recedentis, neque tamen arte omnino carentis exempla sunt Verrinae. In oratione IV *de signis* sine ullo exordio paucis orator exponit, de quibus sit dicturus, deinde in prima parte orationis enarrat exspoliationes singulorum Siculorum in altera totarum civitatum. Et in his quidem narrandis temporum series non observata est, sed in principio sermo est de Heio Mamertino, in fine de Syracusis. Quodsi orator, Verris avaritiam in civitatibus, quae laudationes eius Romam miserant, singularem fuisse ostendit, id assecutus est, ut eo facilius, qualis praetor populi Romani apud acusatores suos fuisset, perspiceretur, qui apud laudatores suos repertus esset improbissima ratione praedatus. In ea oratione argumentatio a narratione non est separata, quod idem saepius factum est ab oratore nostro in orationibus, quarum dispositio est ab institutione artis profecta. Similis dispositio est quintae orationis. Rerum, quae in quarta oratione dictae erant, brevi complexione praemissa, orator suae accusationis rationem exponit, tum ad causam tractandam accedit. Qua in re versatur sic, ut primo, Siciliam Verre praetore nullo gravi bello nisi complurium servorum consensione turbatam esse, ostendat, tum, classem ad insulam defendendam comparatam propter Verris negligentiam et avaritiam a piratis oppressam, demonstret, denique cives Romanos gravissimis suppliciis a praetore affectos esse iudicibus narret. Quibus exemplis nostri oratoris disponendi rationem satis illustratam esse puto.

Ex iis igitur, quae jam dicta sunt, neque inventionem, neque dispositionem in eloquentia Ciceronis desiderari patet.

Nunc tertium illud, quo imprimis oratoris officium continetur, est considerandum. Est autem *elocutio*.

Qua in eloquentiae parte Cicero facile princeps evasit, quippe qui quum pura et emendata locutione tum exquisito genere dicendi aequales superaverit. Purae et emendatae locutionis vel, quae eadem est, latinitatis laus et a veteribus et a recentioribus ei sine controversia tribuitur. Unde profectus est mos de aliorum scriptis pro maiore aut minore cum Ciceroniana locutione similitudine aut bene aut male iudicandi. Eius enim loquendi ratio quasi perfectum et absolutum quoddam exemplum est habita.

Ex veterum testimoniis proferantur, quae mihi visa sunt auctoritate summa. Apud auctorem dialogi de oratoribus (c. 22) legimus haec: „Primus (Cicero) enim excoluit orationem, primus „et verbis delectis adhibuit et compositioni artem.“ Alter haud minoris gravitatis locus est in Ciceronis Bruto (253), ubi Caesaris iudicium de Cicerone commemoratur. Verba sunt haec: „ac si, „ut cogitata praeclare eloqui possent, non nulli studio et usu elaboraverunt, cujus te paene principem copiae atque inventorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existumare debemus.“ Quodsi Caesar et ipse scriptor elegantissimus et idem, qui de orationis aut virtutibus aut vitiis quam verissime potuerit iudicare, iudex peritissimus, quem Atticus apud Ciceronem (Brut. c. 72, 252) „acerrimum existumatorem“ appellat et ibidem „omnium fere oratorum Latine „loqui elegantissime“ dicit, qui denique de ratione latine loquendi acuratissime scripsit primoque „in libro dixit, verborum delectum originem esse eloquentiae“ qui Gellio teste (I, 10) in primo de analogia libro scripsit: „habe semper in memoria atque in pectore, ut tanquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum“, quodsi Caesar ille, Ciceronem loquendi ratione bene de re publica Romana meritum esse dixit, singularem profecto facultatem illam in oratore nostro fuisse putemus necesse est.

Ex recentioribus Bernhardy in libro „Latinarum litterarum historia“ et Westermann in libro „eloquentiae apud Romanos historia“, meritis laudibus Ciceroni loquendi genus celebraverunt.

Locutio autem pura et emendata constat et verborum delectu et quum singularum vocum tum sententiarum apta compositione. Quibus rebus a Cicerone summam curam adhibitam videmus et ex orationibus ipsis et ex locis aliquot, quibus sermo est de locutione oratoris nostri.

Atque, quum oratorum eloquentiae moderatricem fuisse auditorum prudentiam ipse (or. 24) profiteatur, in orationibus eam legem eum observavisse non solum verisimile est, sed etiam exemplis ex orationibus repetitis probatur. Temporibus autem illis cives Romani urbem incolentes neque ordinis infimi utebantur Latino sermone, qui minime carebat elegantia, verborum splendore et copia. Extiterant enim clari et oratores et poetae, ut M. Crassus, ut C. Caesar, ut Q. Hortensius, ut Terentius. Legimus enim apud Ciceronem (Brut. 161) haec: „quod ideo posui, ut dicendi Latine „prima maturitas, in qua aetate extitisset, posset notari et intellegeretur iam ad summam „paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure „civili, ab historia fuisset instructor.“ Consuetudini tamen magis quam institutioni ab arte profectae illa pure et emendate loquendi facultas debebatur (Brut. 74. 258). Cicero vero ad audientium consuetudinem orationem accommodans non indulsit sibi, sed rationem quandam et leges in locutione observatas esse voluit ipseque observavit studiosissime. Itaque populum vel iudices ut edoceret, delectaret, moveret, verbis utendum fuit propriis, rem proprie demonstrantibus. Ea vero sunt origine aut Latina aut aliena, peregrina; usitata aut abolita in sermone quotidiano neque tamen inusitata in contionibus publicis et causis forensibus, qualis est vox „*Quirites*“.

Ut C. Fr. Naegelsbachius in libro „de stilo latino in Germanorum usum“ (ed. III. p. 15) animadvertit, Cicero non omnino abstinuit vocibus e Graecorum lingua aut aliunde repetitis sed usitatis, quod tamen nisi coactus non fecit. Sunt enim quaedam vocabula origine quidem peregrina,

usu vero Latina, qualia sunt a Naegelsbachio (p. 16) enumerata. Quae si ad rem exprimendam videbantur aptiora, non erat, cur non adhiberentur. Tamen in his quoque parens fuit Cicero. Idem Naegelsbachius in p. 17 attulit exempla probaturus, Ciceronem pro singulis vocibus peregrinis, quamquam essent aptae et usitatae, tamen libenter uti vel pluribus latinis ad eandem rem exprimendam. Ita pro voce „*asylum*“ quam legimus in Verr. I. 85, alio loco leg. agrar. II. 36 „*periculi perfugia*“, scriptum reperimus, pro „*basilica*“ Verr. II. 58 scriptum est Caec. 5, 14 „*contritus ad regiam*“ aliaque.

Praeter ea etiam novis vocibus non abstinuit, cuius rei exemplum est in oratione pro Plancio (31) ubi legimus haec: „*Bimaritum* appellas, ut verba etiam fingas.“ Cuius vocis usum res ipsa poposcit. Laterensis enim Plancium illo nomine appellaverat inter alia id quoque crimen proferens. Verbis novis eum usum esse, etiam ex loco perspicimus, qui legitur apud Cic. de orat. I. 34, 155. „Postea mihi placuit eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecae orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequer, ut, cum ea, quae legeram Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea.“ Additae autem sunt ad eiusmodi verborum usum quasi excusandum sententiae „ut ita dicam“, si licet dicere aliaque similia.

Etiam barbaris verbis, quae non essent Graeca, Ciceronem non abstinuisse Quintilianus tradit I. 5, 8, „nam *mastrucam*, quod Sardum est, illudens Cicero ex industria dixit.“ Quod vocabulum non propter inopiam Latini sermonis positum est, sed illudendi causa.

Vulgi est mos uti vocibus ambiguus vel obscuris; quem non imitandum esse Quintilianus monet (I. 6, 45) Oratoris autem est ita loqui, ut iudices vel populus vel patres de verborum vi non sint in ambiguo. Et enim ipse Cicero de orat. III. 15 scripsit haec: „perspicue dicemus latine dicendo, sine ambiguo verbo et sermone“. Quare ambiguitatem praeter delectationis vel risus movendi causa ipse maximopere fugit. Minime vitiosa est ambiguitas in illis a Verris nomine repetitis, qualia sunt „*ius verrinum*“ Verr. II. 46) *verrere*, *everriculum*, *everrere*, *Verria praecleara*“ aliaque a Quintiliano (I. IV. 3, 46—56 allata. Inserviunt enim eiusmodi delectationi.

Quoniam translationes ut: „*flos iuventutis*, *caput rei publicae*, *conflare invidiam*, *ardere ira*, *flagrare infamia*, *comitiorum tempestas*, *rei publicae ruina*, *verborum faces admovere*, *fluctibus rei publicae iactari*“, aliaque similia, non erant inusitatae, sed ab omnibus facillime intelligebantur. Cicero quoque auditorum prudentiam respiciens translationibus, quod propter similitudinem animos huc et illuc movent atque delectant, frequentibus uti non dubitavit. Quam pulchra est crebra comitiorum cum fluctibus tempestate commotis comparatio! Sunt tamen nonnulla, quae minus probata visa sunt iam antiquis; quale est illud ab auctore dialogi de oratoribus (c. 22) reprehensum „*rota fortunae*“ (in Pis. 22). Cuius translationis usus concinnitate potest excusari. Praemissa enim sunt haec: „quum suum illum saltatorium versaret orbem“. Est autem Latine loquendi lex, ut quo translationis genere coeperis, eodem desinas (Quintil. VIII. 6, 50). Quum igitur praecedat vox „*orbis*“ similem subsequi eam necesse fuit.

In eligendis igitur verbis Cicero fuit quam curiosissimus, quamquam nonnulla sunt, quibus si quis sine consilio certaue ratione utatur, Latine loquendi leges violaverit. Neque in vitium incidit, quod reprehendit in Sisenna, quem in Bruto (259) „*quasi emendatorem sermonis usitati*“ appellat, qui „ne a C. Rusio quidem accusatore deterri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. Peregrinis, novis, barbaris uti verbis non fuit Ciceronianae consuetudinis, sed consilii atque rationis, quod exemplis supra congestis probatum esse puto. Non auxit igitur Cicero linguam Latinam singulis verbis, sed iis, quae erant pura et usitata, usus est prudenter.

Longe maior quam propter delectum verborum laus ei debetur propter compositionis artem. Etenim, quod ex dialogo de oratoribus c. 22 apparet, primus certis legibus et verba inter se coniuncta collocabat et sententias vinciebat. Ipse, quid de compositione verborum sentiret, aperte declaravit his: Tantum abest, ut enervetur oratio compositione verborum, ut aliter in ea vis esse non possit“. (or. 68).

Fuerunt sane alii oratores iam ante Ciceronem, qui et verba pura eligerent et sententias graves et suaves reperirent, at in iis ipsis, quod sententias aut vincirent aut explerent parum, Cicero reprehendit. (or. 168). Alio loco (or. 170), compositionem in antiquis oratoribus non omnino quidem desiderari, concedit, plerumque tamen *casum* saepe *naturam* causas eius fuisse monet. Verba sunt haec: „Hic enim invidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia, quod sit etiam ab antiquis, sed plerumque *casu*, saepe *natura*, et quae valde „laudantur apud illos, ea fere quia sunt conclusa, laudantur“. Ad compositionis rationem illustrandam, quae sequuntur, dicenda mihi sunt visa.

Ut in delectu verborum certas leges observatas esse vidimus, ita etiam in compositione consilium atque ratio non desiderantur. Atque Cicero perspicuitatis studiosus simplicibus verbis saepe antetulit sententiam vel longiorem, dummodo rem exprimeret aptius. Neque tamen ab aliorum emendatae loquentium consuetudine recessit, nisi in participiorum usu. Etenim, quum alii aequales scriptores vel pluribus participiis, quibus oratio sit astricta, uti minime dubitarent, orator noster in orationibus, ne plura participia commularet, sententias relativis vel coniunctionibus vinctas ponere maluit. Quamquam, etiam plura participia nonnunquam inveniri, minime negari potest. Disseruit de participiorum usu eorumque collocatione apud Ciceronem C. J. Grysar in libro de stilo Latino ed II. p. 285, 286, 293 et rem exemplis collatis probavit. Ex quibus etiam in collocandis participiis aliam Ciceronis ac historicorum rationem fuisse, apparet. Nam illae sententiae primariae partibus inserit participium, perraro post eam collocat. Cuiusmodi exempla sunt: „Sthenium Thermitanum hospitum suum, *absentem*, in reos retulit“. (Verr. II. 42). Omne malum *nascens* facile opprimitur: *inveteratum* fit plerumque robustius.“ (Phil. V. 11). Etiam participiorum futuri activi pro sententiis finalibus haud frequens est usus apud Ciceronem. Eorum loco pronomen relativum cum coniunctivo verbi usitatum est. Quod quum a Grysaro de omnibus scriptis Ciceronis dictum sit, etiam valet de orationibus.

Compositionem vel *ordinem verborum* duplicem esse *simplicem* et *traiectum* pro scribentis vel loquentis consilio, grammatici docent. Utriusque exempla sunt in orationibus Ciceronianis permulta. Sunt autem quaedam verba, quorum ordinem commutari non licuit, ut ab iisdem grammaticis docemur. Qui ordo verborum saeculorum auctoritate firmatus, si ab oratore ullo esset turbatus, fieri potuit, ut aliud quam quod orator intellectum esse voluit, auditores dici putarent; sin minus, tamen oratorem et ab usu recedentem vituperarent. Huc pertinent, quae traduntur de vocativi loco, item verbi *inquam*, deinde locutiones, quales sunt *terra marique* et similia a C. Grysaro in ed. II. p. 413 collecta. Eiusmodi ordinem verborum a Cicerone quoque servatum esse, quae in orationibus leguntur exemplis probatur frequentibus.

Ordinis inversi vel *traiecti* alia est ratio in iisdem orationibus. Alii quoque auctores utebantur eo ordine, cuius causas esse multiplices et antiqui et recentiorum plerique docent, Naegelsbachius autem duas esse statuit, *chiasmum* et *anaphoram* (ed. III. p. 477), quorum originem uberius explicuit (p. 458—460 §. 166).

Quantum Ciceronis interfuerit, ut oratio non solum esset perspicua sed etiam, ut auditorum aures permulceret, ex his, quae in *oratore* (149) legimus, cognoscere licet. „Collocabuntur, igitur verba, ut aut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis eaque sint quam

„suavissimis vocibus; aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum; aut ut „comprehensio numerose et apta cadat.“

Tres igitur collocationis causae hic afferuntur: cohaerentia omnium partium inter se cum suavitate soni, tum apta orationis terminatio, denique numerosa conclusio. Eas observatas esse haud difficile est exemplis probare orationes attentius legenti.

Quae vero sit bene structa collocatio, quibus a Cicerone ipso res explicatur exemplis illustratum est in *oratore* (70). Locum eum maiorem perscribendum esse existimaui, quod eo res optime demonstrabitur. Verba sunt haec: „Quantum autem sit apte dicere, experiri licet, si aut „compositi oratoris *bene structam collocationem* dissolvas permutatione verborum: (corrumpatur enim tota res, ut et haec nostra in Corneliana, et deinceps omnia. *Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii mercatoresque superarunt.* Immuta paulum, ut sit, *multi superarunt mercatores, venaliciique*; perierit tota res. Videsne, ut ordine verborum paulum commutato, iisdem verbis, stante sententia, ad nihilum omnia recidant, cum sint ex aptis dissoluta?); aut si alicuius inconditi arripias *dissipatam* aliquam sententiam, eamque ordine verborum paulum commutato, in quadrum redigas, efficiatur *aptum* illud, quod fuerit antea *diffluens* et *solutum*. Age sume de Gracchi apud censores illud, *Abesse non potest, quin eiusdem hominis sit probos improbare, qui improbos probet.* Quanto aptius, si ita dixisset, *quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare.*

Numerosae orationis artificem eum fuisse vel inde possumus colligere, quod ne Demosthenes quidem hac in elocutionis parte ei satis fecit, ut docet Bernhardy (pag. 677 n. 554 ed. III.); quod de Isocrate numeri oratorii auctore peritissime iudicavit. (Brut. 33).

Reliquum est, ut quo sententiarum genere orator noster uti consueverit, aliquid dicatur.

Pro dicendi genere, de quo mox dissetetur, utebatur omnibus sententiarum generibus. Extant enim exempla sententiarum simplicium et compositarum, brevium aut longiorum; item periodorum simplicium at compositarum bona vel plura membra habentium. Bimembres periodos ipse maxime probavit quod in *oratore* (66) profitetur. Ibidem periodum e quatuor membris constantem plenam appellat. Quem quasi iustum membrorum numerum saepe non servavit, sed comprehensiones vel e sex membris constantes composuit. Pulchrum eiusmodi exemplum in initio Plancianae (1) legitur. „Quum autem audirem meos partim inimicos, partim invidos huic accusationi esse fautores „eandemque rem adversariam esse in iudicio Cn. Plancio, quae in petitione fuisset adiutrix, dolebam, iudices, et acerbe ferebam, si huius salus ob eam ipsam causam esset infestior, quod is „meam salutem atque vitam sua benevolentia, praesidio custodiaque texisset“.

Et in sententiarum collocatione easdem, quas in compositione verborum leges observavit ita, ut omnes comprehensionis partes inter se cohaerent, ut oratio apte finiretur, postremo ut numerose caderet.

Quamquam sunt quaedam, quae a legitima loquendi ratione abhorrere videntur, qualis est hic locus (Ver. IV. 38) „De hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata“ Quam sententiae conformationem Halmius *attenuato dicendi genere*, excusatam esse voluit. De industria igitur minus diligenti compositione usus est nonnunquam. Item consilii non negligentiae esse haec videtur: sed earum artificem quem? quemnam? Recte admones: Polyclitum esse dicebant (Terr. IV. 5). Est enim *figura extemporalis* imitans sermonem quotidianum. Minus elegantis orationis tamen de industria ita comparatae plura notavit exempla Halmius ad Verr. IV. 51 sub „*Archagathum*“.

Etsi propter iucundam et verborum et sententiarum compositionem laudandus est Cicero et iam ab antiquis hac in parte elocutionis summus artifex est habitus, tamen fuerunt, qui eam numerorum consecrationem Romano cive minime dignam putarent et similia: ut „*o fortunatam natam*

me consule Romanam“ item clausulam „*esse videatur*“ tertio quoque sensu positam irriderent (dial. de orat. 23.).

Praeter elegantiam et compositionem in elocutione Ciceronis non desideratur *dignitas*, quae reddit ornatam orationem varietate distinguens. (ad Her. IV. c. 13). Huc pertinet frequens figurarum usus, quarum singula exempla, quum legi possint in libris de arte rhetorica scriptis, hic omittere mihi liceat.

Varietas vero non solum figuris paratur, sed efficitur etiam *genere dicendi*, quo quis orator uti solet.

Venio igitur ad genus dicendi a Cicerone usitatum. Quod quo melius cognoscatur, qualia in oratoribus Ciceroni aequalibus fuerint genera dicendi, nonnulla praemittenda esse arbitror. Materiam praebent Ciceronis libri, imprimis *Brutus* et *orator*.

Ex iis, quae in his libris narrantur, Romae tum floruisse apparet oratorum genera duo alterum eorum, qui in dicendo nihil nisi *tenuitatem* et *siccitatem* consectarentur, alterum eorum qui contra uterentur *genere* dicendi *nimis redundantem* et copioso. Horum princeps erat Q. Hortensius, qui adolescentulus Asiatico genere dicendi clamores moverat; illorum C. Lucinius Calvus, qui tenuitatem dicendi de industria consectabatur. (Brut. 284. 325).

Quorum dicendi generum neutrum penitus arripuit Cicero. Nam Asiatico genere dicendi, quamquam in oratione pro S. Roscio Amerino usus erat, tamen in ceteris abstinuit. Neque vero quia repudiavit Asiaticum, idcirco amplexus est solum tenue dicendi genus, quod tunc falso dicebatur Atticum. Nulla enim extat oratio, in qua non reperiantur Asiatici generis vestigia, imprimis in peroratione.

Itaque, quum eius dicendi genus aliud ac aequalium oratorum fuisse videamus, nunc quale fuerit est demonstrandum. Illustrandi rationem in *oratore* Ciceronis propositam habemus.

Oratori, quum debeat docere delectare movere, triplex dicendi modus est observandus. Ex hoc triplici munere tria genera dicendi sibi exorta: *subtile* in docendo, *medium* in delectando, *grande* in movendo. Quorum in singulis singuli oratores Romani floruerunt. (or. 22.) Fuerunt enim qui dicerent subtiliter, ut C. Aurelius Cotta (Brut. 202), qui ample, ut P. Sulpicius Rufus (Brut. 203) qui et subtiliter et mediocriter, ut M. Calpidius (Brut. 276). Duos tantum, M. Crassum et M. Antonium Cicero in *oratore* (106.) magis ad omne genus aptos fuisse dicit, quos tamen ipse superavit. Etenim, quum triplex esse oratoris officium non ignorans Demosthenem, cui in omnibus generibus dicendi palmam tribuit, sibi proposuisset imitandum, triplici ratione sibi quoque dicendum esse arbitrabatur: subtiliter in docendo, mediocriter in delectando, ample atque copiose in movendo. Quorum quidem trium generum dicendi exempla sunt frequentia. Nonnulla contulit ipse in *oratore* (102, 103): „Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua destinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Jus omne retinendae maiestatis Rabiri causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus. At haec interdum temperanda et varianda sunt. Quod igitur in accusationis septem libris non reperitur genus? quod in Habiti, quod in Corneli, quod in plurimis nostris defensionibus? Confer. (or. 106. — 108.).

At non solum in singulis causis diversis generibus dicendi usus est, sed etiam in singulis unius orationis partibus ab alio ad aliud genus transiit. Ita plerumque in exordiis oratio est temperata neque verbis elatis incensa, in narrationibus saepe sermoni quotidiano non impar, in argumentationibus tenuis, in perorationibus vehemens et incitata. Comparavit igitur Cicero elocutionem suam ita, ut et rebus tractatis conveniret et auditoribus placeret. Quae ab auctore dialogi de oratoribus (. 22.) ei vitio dantur, quod in prioribus orationibus, quam quas iam senior composuit, sit

lentus in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; quod tarde commoveatur, raro incalescat; eorum temporum, quibus vixit auctor dialogi, hominibus doctis vituperanda videri poterunt, at Cicero non, ut legerentur sed, ut audirentur orationes componebat easque a populo probari non ab eruditis hominibus solis laudari cupiebat. Etenim, quae scripta videntur minus laudabilia, eadem saepe canora voce cum apto gestu pronunciata auditorum animos movent atque huc et illuc flectunt. Quod experiri licet hodie quoque in scena, ubi vel mediocri cum arte compositae fabulae pronuntiatione et gestu histrionum auditoribus commendantur.

Quodsi memoria comprehendemus, quae dicta sunt de elocutione, Ciceronem a Latine loquendi consuetudine non recessisse quidem, sed tamen oratores sibi aequales minime imitatum esse imo superavisse, sine dubitatione concedemus libenter.

Primus igitur ad causas agendas exquisitius orationis genus attulit.

Reliquae sunt duae partes eloquentiae: *memoria* et *pronuntiatio*.

